





10

Publ. 12. num. 3.

Re. Th. 10.

21

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS IVRIDICA,  
DE  
**S. R. I. PRINCIPVM  
DOMINIO EMINENTI  
EIVSQUE APPLICATIONE  
AD ANNONAM.**

QVAM,

SVB AVSPICIIIS DIVINIS,

ET

CONSENTIENTE ICTORVM AMPLISSIMO ORDINE,  
PRAESIDE,

DN. ERN. IO. FRIED. *Mantzein*,

SEREN. DVCIS REGN. MECKL.

CONSIL. ET PANDECTARVM PROF. ORD. COM. PAL. CAESAR.

FAC. IVR. SEN. ET AD H. A. DECANO,

STVDIORVM SVORVM PROMOTORE

HONORATISSIMO,

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS,  
RITE CAPESENDIS,

IN ALMA PATRIA,  
ANNO MDCCCLVIL DIE III, MAI,

H. L. Q. C.



PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTET,

AVCTOR,

ANDREAS EPHRAIM WENDT,  
ROSTOCHIENSIS.

ROSTOCHII,

TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SEREN. DVC. REGN. AVL.  
ET ACAD. TYPOGRAPHI.

СИГИЗМОНД  
СИГИЗМОНД  
СИГИЗМОНД  
СИГИЗМОНД  
СИГИЗМОНД  
СИГИЗМОНД




## PRAEFAMEN.

**S**olemne est, disputationem consribentibus, ejus exordium capere, a vocum, in rubro occurrentium, explicatione. Huncce communem disputantium morem & ego observare, antequam ad ulteriora descendam, apud animum constitui meum.

Quod attinet vocabulum *Principis*, antiquis temporibus  $\alpha$ ) tum Imperator, tum Rex Principis nomine veniebat; quod ex Legibus Wisigothorum & Longobardorum appareat.  $\beta$ ) Principes dicebantur, quotquot in ordine aliquo primarium locum obtinebant; quos posterior aetas, Primicerios appellavit, *Teste Seneca, Lib. 7. Epist. 24.*  $\gamma$ ) Procerum palatii nomen erat æquipollens. *Vid. Capit. Carol. C. Tit. 6.*  $\delta$ ) nomen dignitatis denotabat, *vid. Leon. Osti-ens. Lib. 10. Cap. 10.* Denique  $\epsilon$ ) Comites, Domini superioris, suæque civitatis ita vocati. Epi-scopi appellationem Principes etiam obtinebant, *vid. Chart. Caroli C. in Tabulario Dervensi. Tribus: Princeps est, qui primum capit, sc. locum cum omni jure.* *Unde Angli dicunt: the first*

*Mann, i. e. primus s. prior. Hinc: der Fürste,  
missis aliis lusibus, in effectu ad idem tendentibus.  
Quanquam Principes Imperii S. R. G. in ordine  
votorum & verborum sequantur Electores, in  
hacce tamen dissertatione Principis nomen late  
accipitur, juxta perpetuum Imperii & Iuris pu-  
blici stylum: Sequitur, ultimo loco, vox anno-  
næ. Hocce interdum salarym quidem nomine  
venit; sed in hacce dissertatione omnia, quibus  
vitam toleramus, denotat, vid. Struv. in spec.  
diff. de annona, & Gotbofr. ad rubr. tit. Cod. de  
annona. Ne vero ~~apud~~ hic processile videar,  
tribus subsequentibus, hancce tractationem Se-  
ctionibus inclusam, expediam. Illarum prima  
in diversitatem bonorum civitatis, fundamen-  
taque jurium, Principi in prædicta bona com-  
petentium, inquiret. Secunda complectetur fun-  
damentum dominii eminentis, ejus naturam,  
dubia, contra illud mota eorumque destruc-  
tionem. Tertia occupabitur circa remedia,  
contra caritatem annonæ & applicationem  
dominii eminentis ad eandem. Deus au-  
tem ter optimus terque maximus hisce lucu-  
brationibus benedicat ex alto spirituque suo di-  
vino manus & corda ita dirigat, quo omnia in  
sanctissimum illius cedant honorem.*

TRACTA-



# TRACTATIO.

## SECTIO I.



Exhibens, diversitatem bonorum civitatis & fundamenta Iurium Principum, in bona civitatis competentium,

### §. I.

Antequam ad evolutionem bonorum civitatis descendamus, quorundam terminorum explicatio erit præmittenda.

### §. II.

Ius dirigendi actiones alterius, ad obtinendum determinatum scopum, imperium audit. vid. I. P. U.

### §. III.

Civitatem, tam subjective, quam objective sumi, nemo est, qui dubitet. Priori ratione per plurimum, hominum, sui juris, securitatis causa cum admisso im-

A 3

perio



perio conjunctionem; explicatur: posteriori, comple-  
xum regionum, eum in finem constituum, ut cives in  
iis habitent, earumque usu finis civitatis commode  
obtineri possit, denotat. *vid. Ill. Dn. DARIES Elementa  
I. P. U. Sect. V. Cap. I. §. 655 & 680.*

### SCHOL. I.

Ad constitutionem civitatis homines sui juris, id est, neque  
patriæ nec dominicae potestati subjectos, requiri, non  
usus loquendi solum, & quidem ex phrasí: *Er hat sich  
das Bürger-Recht erworben*, satis probat; verum etiam ex  
exclusione filiorum familias & servorum, in territorio civi-  
tatis existentium, a civium ordine, appetat. Quocum  
etiam GROTIUS *in de I. B. & P. Lib. I. Cap. S. 14.*, ubi ho-  
mines sui juris liberos homines appellat, convenit.

### SCHOL. II.

Ad civitatem, ab urbibus, a pagis & vicis distinguendam, com-  
mune imperium civitatis notionem ingredi, necesse est.

### §. IV.

Explicata itaque natura imperii, civitatisque,  
tam subjective, quam objective spectatæ, ad evolutionem  
imperii civilis progradimur.

### §. V.

Quod si, in definitione imperii, character finis, per  
securitatem civitatis determinetur, oritur jus dirigendi  
actiones aliorum, ad obtinendam civitatis securitatem,  
quod imperium civile audit. *vid. Illustr. Darj. I. P. U.  
Cap. II. Tit. I. §. 662.*

### SCHOL. I.

Beatus BÖHMERVS majestatem s. imperium civile per jus  
dirigendi actiones civium, ad salutem sive tranquillitatem  
reipublicæ, definit. Hance autem, si non verba sed sensus  
respiciatur, adductæ convenientem esse, in dubium  
vocari nequit.

### SCHOL. II.

SCHOL. II.

GROTIUS in Lib. I. Cap. III. §. 7. sequentem, de maiestate suppeditata definitionem. Maiestas est, cuius actiones alterius juri non subsunt, ira, ut voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi possint. Quam autem ea ex ratione taxamus, quoniam subjectum, cui maiestas inest, cum ipsa maiestate confundit.

SCHOL. III.

Finem alium esse operis, alium operantis, admonuerunt eruditii: illum finem, propter quem, ut perfecte existat agamus; hunc, propter quem ut existat, agitur, vocantes. Finis igitur operis, cognitionem spectat philosophicam, operantis vero ad Historiam se refert.

§. VI.

Ad civitatis scopum promovendum requiruntur expensæ, quæ supponunt bona, de quibus sumi queant: ideoque, in civitatis territorio, bona, quorum usū finis civitatis obtainendus, existant, necesse est. Horum evolutionem sequens paragraphus suppeditabit.

§. VII.

Prædicta bona vel in dominio totius civitatis, vel civium existunt. §. III. Priori respectu bona publica, posteriori privata vocantur. Publica subdividuntur, in talia, quæ ad singulos non spectant, & in alia, quæ ad universos se referunt. Priori ratione bonorum publicorum, in specie dictorum, posteriori publicorum, in patrimonio civitatis existentium, nomine veniunt. Hæc que vel ad Principis dignitatem vitamque conservandam destinata, vel ad promotionem securitatis immediate spectant. Priori casu bona fisci, posteriori bona ærarii appellantur. Illa vel in prædiis consistunt, vel non: inde

8

inde bona oriuntur domania. Quod ad bona privata,  
vel ad principem pertinent, vel non. Prius si locum  
habet, bona principis patrimonialia constituunt. Bono-  
rum civium mentionem facere, non est hujus loci.

### S C H O L.

Ad bona publica, in specie sic dicta, hodie referuntur, mare  
alluens, portus, flumina, alia; iis vero, in patrimonio  
civitatis existentibus, bona annumerantur domania.

### §. VIII.

Imperanti soli competit jus, actiones civium ad  
promovendum Civitatis finem dirigendi. (§. V.) ideo-  
que ipsi tribuendum est jus, de bonis publicis, eum in  
finem constitutis, (§. VII.) disponendi.

### §. IX.

*Jura, Principi in bona publica competentia, dijudicanda*  
*sunt ex scopo, cur bona in totius civitatis dominio posita sunt.*  
Omne jus oritur ex obligatione. (*vid. illustr. DARIES*  
*J. N. §. 154.*) quælibet obligatio constituit legem, *eiusd.*  
§. 98. sed extensio legis determinanda est ex ejus ratione  
(*ibid. Cor. §. 103.*) ideoque ratio, vi cuius bona in totius  
civitatis dominio posita sunt, determinare debet jura,  
Principi in bono publica competentia.

### C O R O L.

Scopus, de existentia bonorum publicorum, in dominio civi-  
tatis in promotione finis illius civitatis ponendus. (§. VI.)  
ideoque omnia jura Principis, in bona publica, ex scopo  
civitatis deducenda sunt.

### §. X.

Scopus civitatis in securitate consistit (§. V.) quæ  
fundamentum ad dijudicanda Jura Principis, in bona  
publica,

publica, competentia, præbet, quod sequentem in modum  
exprimitur: *Bona publica eorumque conjectaria ad obti-  
nendam civitatis securitatem dirigenda sunt.*

§. XI.

Posito uno connexorum, alterum etiam ponatur,  
necessæ est, (*per def. connex.*) Si igitur concipiimus obli-  
gationem, ad unum ex duobus connexis, obligationem  
etiam ad alterum concedere debemus.

C O R O L.

Finis & media sunt connexa. Nemo itaque ad media  
obligari potest, qui non simul ad finem; & nemo ad fi-  
nem obligandus, nisi ipsi obligatio ad media incumbat  
(*vid. ill. DARIES I. N.*)

§. XII.

*Jus ad finem, dat Jus ad media sufficientia, (§ anteced.)*  
Principi igitur, siquidem promotio securitatis civitatis,  
sine vitæ dignitatisque conservatione impossibilis et haud  
concienda, tribuendum est jus, bona publica, eorum-  
que conjectaria ad vitæ dignitatisque conservationem  
adhibendi.

§. XIII.

Bona publica quod attinet, ad duo genera sunt  
referenda; consistunt nimirum ex bonis fisci & ærarii.  
(§. VIII) Illa conservationi vitæ dignitatisque Principis  
dicantur, hæc ad promotionem securitatis civitatis im-  
mediate spectant; inde Jus fisci ærariique oritur.

§. IV.

Dispensatio bonorum, alterius commodum pro fine  
habens, administratio appellatur.

B

§. XV.



### §. XV.

*Omne jus, Principi in bona aerarii competens, ex Jure administrandi inferendum est. Bona enim aerarii conservationem securitatis civitatis immediate concernunt (§. XIII.) Principi igitur praeter jus, de illis, in commodum civitatis, disponendi, nulla alia jura in praedicta bona adscribenda sunt. (§. IX.) Derivando itaque sunt illa jura ex jure administrandi. (§. XIV.)*

### §. XVI.

*Jura, quibus Princeps in bona fisci gaudet, ex jure utendi sunt determinanda. Bona enim fisci conservationem vitæ dignitatis que principis spectant. (§. XIV.) Principi itaque jus, illa ad conservationem vitæ dignitatisque suæ adhibendi, (§. IX.) in allata bona competitat, necesse est. Patet igitur, ejusmodi jura ex Jure utendi inferenda esse. (vid. Illuſtr. Darj. J. N.*

### §. XVII.

Fructus bonorum publicorum vel sufficiunt, ad conservandam vitam dignitatemque Principis, securitatemque civitatis, vel non. (§. XIII.) Priori respectu nullam perspicimus rationem, cur imperanti jus in bona privata tribuendum sit. (§. VI.) Posterior autem, si locum habet, Principi omnino jus in bona privata competit, necesse est. (vid. DARIES J. N. P. G. Cap. III. §. 152.

### §. XVIII.

Gaudet igitur Princeps Jure, ex bonorum privatorum consecutiis bonorum publicorum fructus splendi, (§. anteced.) Hocce vero jus non omnia, sed

sed certam solummodo consecutariorum quantitatatem respicit. (*vid. DARIES J. N. §. 313.*) Ratio igitur adsit necesse est, cur hoc & non alio modo bonorum privatorum consecataria, ad usum publicum adhibenda, ab imperante determinentur. Diversitas prædictæ rationis præbet diversitatem Juris, Principi in bonorum privatorum consecataria competentis.

### §. XIX.

Adducta ratio, si ex eo sumitur, quia bonorum privatorum usu domini simul fruuntur bonis publicis, erit character vectigalium. Bona publica sunt in dominio civitatis. (*§. X.*) Vectigalia itaque ut consecataria, bonorum privatorum, in bona publica ob eorum usum transferanda, considerari debent.

### C O R O L.

Ex notione vectigalis prono fluit alveo, diversas ejusdem species tam a diversitate bonorum publicorum, quibus dicta ratione usi sunt privati, quam a diversa ratione, qua iisdem usi sunt, derivandas esse. Praestanda enim sunt vectigalia, vel pro usu viæ, pontium, porrum, fluminis, fori etc. & quidem a persona, quia pedibus transit, unde *pedagia* oriuntur; vel in itinere, pro equis, cursoribus etc. viæ, fluminis, pontis transitu, quo respectu portoria dicuntur, quorum species: *Markt-Zölle*, *Wascher-Zölle*, *Brücken-Zölle* audiunt; vel solvenda sunt pro facultate vendendi in foro publico: ita habemus characterem, des *Strand-Geldes*. Per multa etiam ad vectigalium numerum *Guidagium*, das *Geleit*, quod nimis pro seculo territorii transitu solvit, referunt; sed concedo quidem, fieri posse, ut vectigal sit *Guidagium*; dubito vero, an omne *Guidagium* vectigal vocari possit. *Vid. KLOCK, de Contribut. Cap. I. n. 257. f.*

B 2

### §. XX.



## §. XX.

Quodsi vero ejusmodi determinationis ratio in eo ponatur, quia rerum privataram domini illarum consecatriis secure uti atque frui queunt: oriuntur, quatenus res sunt immobiles, tributa seu steeræ; quatenus vero mobiles, contributiones, Accisæ s. Licent. Definienda igitur sunt tributa & per consecatoria bonorum privatorum, ob usum in bona publica transferenda.

## §. XXI.

Evolutis itaque civitatis bonis, nec non fundamentis jurium, Principi in dicta bona competentium; progrediendum nobis erit ad sectionem secundam.

## SECTIO II.

**Q**uæ occupabitur, circa fundamentum, dominii eminentis, ejus naturam, dubia, contra illud mota, eorumque destructionem.

## §. I.

Jus, quod cuidam, ratione rei competit, vel ita comparatum est, ut quemcunque tertium ab eadem excludere queat, vel personam quandam afficit: priori respectu dicitur jus in re, posteriori jus ad rem audit.

## SCHOL. I.

Hos terminos obscuros quidem, in praxi tamen ut nummi valentes, suppeditat jus canon. C. 8. § 40. de concess. præb.  
in 6.

## SCHOL. II.

## SCHOL. II.

Nobiscum convenient, B. Iac. Fried. LUDOVICI Doct. Pand.  
*Lib. I. Tit. VIII. de R. D. §. 13. 16. B. GUNDLINGII discours, über die sämlichen Pandecten, §. cit. B. BÖHM. in introd. in I. D. Lib. I. Tit. VIII. §. 15. 16. B. HVBER. in Prælect. ad Inst. Lib. II. Tit. I. §. 12. B. HEINECC. Inst. Lib. II. Tit. I. § 332.*

## §. II.

Quod attinet jus in re, vel liberam, de consecutariis rei alicujus, dispositionem, ad certum tantummodo scopum, respicit; vel ad quemcunque spectat. Priori ratione jus utendi; posteriori jus fruendi oritur.

## §. III.

Ex libera dispositione, quatenus substantiam rei concernit, nascitur jus, de rei substantia, proprio pro arbitrio, disponendi, quod dominium audit.

## SCHOL. I.

Isti romani nullam dominii definitionem suppeditarunt; unde factum est, ut eorum interpretes in diversas abicerint opiniones. Ratio dissensus potissimum ex eo est, num menti Iector. Roman. conformiter dominium quoque rerum incorporalium concipi possit? Disputarunt ea de re HVBERVS & THOMASIVS: quorum ille non admittit dominium rerum, nisi corporalium; hic vero res incorporeas dominii capaces esse asserit. *vid. HVBER. in præl. ad Inst. de rerum divisione. Sed B. WOLF. I. N. P. II. C. II. §. 216.* speciale format thema, quod res etiam incorporeales dominio subjici possint.

## SCHOL. II.

B. HEINECC. in I. N. & G. Lib. I. Cap. VIII. de offic. erga alios hypoth. §. 231. dominium definit per Ius s. facultatem alios  
 B 3 ab



*ab usu rei aliquis excludendi.* Sed nemo non videt, hancce definitionem justo latiorem esse. Suni qui nostræ definitioni objiciunt, eam nec simpliciter converti nec contraponi posse, adeoque & definito esse latiorem & strictiorem, diverso scilicet respectu. Quod justo latior sit, evincere gestiunt, exemplo tutorum, qui pro arbitrio de rebus pupilli disponere possunt; sed id est, quod negamus: Proinde nec hanc ob causam opus est, ut cum aliis dominium definiamus, per jus, de re pro arbitrio disponendi proprio nomine. Quod autem sit justo strictior, contendere conantur, provocando ad pupilos dominos, prodigos, civiliter tales & alios, quorum dominium restrictum est. Sed difficultates omnes felici tolluntur successu, si cum GROT. Lib. I. Cap. III. §. 24. I. B. & P. inter jus, in actu primo & secundo, distinguamus. E. Pupilli, etc. habent jus, de rebus suis pro arbitrio disponendi, actu scilicet primo, licet exercitium Iuris, s. jus in actu secundo aliqua ratione sit restrictum. Ultima igitur verba, definitionem dominii restringentia, quæ HEINECC. in element. L. II. Tit. I. §. 335. suppediat, sunt superflua. conf. & Dn. GLAELI im Recht der Vernunft p. 7. §. 73. Id est, quod volunt Icti, quidam, afferentes, dominium pupilli dormire, id est, illum dominium suum, in actu secundo exercere non posse. conf. dissert. Iurid. B. Iob. Bernb. FRIESEN, de Iure dormiente, Iena 1714; vid. etiam exemplum actus primi a secundo separati, quod Apost. Paulus Gal. IV. v. 1. 2. allegat.

#### §. IV.

Quum itaque jus utendi fruendique dispositionem de rei substantia haud involvat, (§. I. Sect. II.) rationem non perspicimus sufficientem, ut Imperanti, quatenus ipsi jus, bonis civium privatis, utendi atque fruendi tribendum sit, dominium in bona civium privata competit.

#### §. V.

## §. V.

Antequam ad evolutionem, fundamenti dominii eminentis, Principi vi summæ potestatis competentis, progrediamur, quidam termini sunt explicandi.

## §. VI.

Status hominis, in quo omnibus legibus, ob eorum collisionem obedire nequit, necessitatis accepit nomen, quæ est extrema, si quis legi violandæ sine vitæ periculo obedire nequit: Si vero periculum illud, quod adest, vitam non respicit, pro magnitudine periculi, necessitas illa major minorve vocabitur. Fieri etiam potest, ut collatio illa sit vel vera, vel apparenſ. Prius efficit, ut status ille necessitatis vocetur status necessitatis absolutæ; posterius, ut status necessitatis respectiue talis vocetur, appelletur. *vid. Darj. J. N. P. Spec. Seſt. I. Cap. I. §. 166.*

## §. VII.

*In statu necessitatis absolutæ atque summae, qui in civitate seu possibilis concipiendus, imperans civitatis gaudet jure; tam bona civitatis privata deſtruendi, quam in usus publicos adhibendi. Summus, qui in civitate cogitari potest, necessitatis status collisione officiorum, a civibus obſervandorum, conſtituitur. (§. 3. Seſt. I.) Quæ ſi vera eſt, status necessitatis absolutæ locum habet. (§. VI. Seſt. II.) In prædicto igitur ſtatu civitatis ſecuritas ſemper præferenda eſt. (§. III. Seſt. I.) pone, ſecuritatem civitatis vere cum conſervatione bonorum privatorum civium collidere, & hoc in caſu summae necessitatis, Principi jūs, de bonis civium privatib⁹ ſuo pro arbitrio disponendi, competit, (per princ. §. XII. Seſt. I.)*

## COROLL.



## §. VIII.

Quo supposito, dominium eminentis per jus, bona civium privata, in casu summæ necessitatis, destruendi inque usus publicos impendendi, explicandum esse, a nemine in dubium vocari potest.

## C O R O L L.

Eiusmodi jus, in rei substantiam, est proprium dominii. (*vid. Daries I. N. P. Sect. II. Cap. II. Tit. III. §. 447.*) Hocce igitur respectu principem dominio in bona civium privata gaudere, quod eminentis nomine venit, & inter jura majestatica referendum, patet. (*§. VII. Sect. I.*) *vid. summe ven. SCHUBERT. in univ. Philosoph. pract. §. 1989.* *Celeb. CANTZ. Disc. mor. §. 1039.*

## S C H O L . I.

Ab hoc dominio eminenti, quod alii dicunt extraordinarium dominium, summi Imperantis, ordinarium in bona civium privata, distinguitur. Sed, cum hoc non sit nisi jus, usu bonorum privatorum publica supplendi, (*§. XVII. Sect. I.*) non est, quod illud dominium in bona civium privata eminentis nominemus *Coroll. VII. Sect. II.* Si quis autem illud jus dominium vocare velit, sequentem in modum procedere debet. Dominium eminentis in genere est jus summi imperantis, in bona privata: Hocce jus vel in casu extremae necessitatis competit, vel non; & hocce casu est jus, usu bonorum privatorum publica supplendi. Priori ratione dominium eminentis extraordinarium, posteriori ordinarium locum habet: modo non ex notione dominii proprie sic dicti, sed ex data notione dominii eminentis extraordinarii, ratiocinemur.

## S C H O L . II.

Grotio quidem dominium eminentis, sive praeminens suos, qua vocabulum, debet natales, sed nihilominus contendum

dendum est, illum nullo loco dominium eminens ordinariū, tanquam dominium proprie sic dictum considerasse, eatenusque nobiscum convenit: quod ex locis in Scholio sequenti collectis apparebit.

### SCHOL. III.

Dividit nimirum in Lib. I. Cap. I. §. 6. Facultatem, in vulgarem & eminentem. Illam cuivis privato, hanc summo imperanti tribuit. Hancce 1) magis imperium esse, quam dominium, aut patriam potestarem. 2) Locum non habere, nisi α) in casu extremae necessitatis, β) in poenam, ob satisfactionem civitatis, γ) si ob necessitatem ejusmodi jus exercetur, reliquos cives teneri ad indemnitudinem praestandam contendit. Exempli loco sit civitas Imperialis Suevica, quæ, cæsis apud Hochsterum Gallis & incendium minantibus, menstruum tributum, pro tota Suevia solvere fuerat coacta, & adversus reliquas civitates instituebat actionem utilē ex L. Rhodia, de Iactu. Deinde in Lib. I. Cap. III. §. 6. n. 2. Partitionem de summa potestate formar, dicens: Qui civitatem regit, id facit, vel per se, vel per alios. Si per se, tunc iversatur 1) circa universalia, condendo abrogandoque leges, circa res sacras, unde jus circa sacra; circa res profanas, unde potestas civilis. II) Circa singularia, eaque vel publica, directe, unde jus circa bellum, pacem, fœdera, vestigalia, item dominium eminens; vel privata, unde jus exercendi judicia. Si per alios facit, 1) per Magistratus, unde jus constituendi magistratus. 2) Per legatos, unde jus mittendi. Moverit porro in Lib. II. Cap. XIV. §. VII. VIII. questionem: An princeps nimirum alicui jus quæsitum ex pacto, vel jurejurando, auferre possit? quæ a Grotio negative resolvitur; duplice tamē exceptionem addit. Dicit enim, aliquando id princeps licite facit. 1) Poenæ causa; veluti si læse Majestatis reo bona omnia simulque & jura auferantur, & in fiscum transferantur.

C



ferantur: quanquam, cum effectus hujus poenae per indirectum etiam in liberos innocentes transeat, principes mitiores esse deceat, in publicandis bonis. 2) *Vi super eminentis dominii.* Sed nisi id jus recte circumscribatur, facile degeneraret in excessum. Est ergo, secundum Grotii mentem, Ius, illi simile, quo utuntur medici, ad urendum secundumque, si ordinaria remedia non sufficiant. Hinc distinguendum, inter statum civitatis ordinarium & extraordinarium. In statu ordinario est civitas, si pax est, sique omnia se recte habent. Ast extraordinarius civitatis status est morbidus, corruptus, si vel seditiones vel bella gliscant. In hocce aliquid licet Principi, ob necessitatem, si resarcitur damnum, sed non in illo statu ordinario. Hinc, secundum Grotii sententiam potest Princeps agrum, quo ad munitionem opus est, sibi sumere, nautas cogere, ad transvehendum milites, quamvis aliis promissis vel jurejurando obstricti sint. In §. sequenti distinctionem proponit Grotius, eamque refellit, dicens: Fuerunt nimirum, qui distinguerent, inter ea, que I. N. & quæ I. civ. alicui comperant, existimantque priora jura principem, ob causas hactenus enumeratas, auferre non posse, reliqua arbitrio principis subesse, ita, ut possit in illa dominium eminens exercere.

Dictam vero distinctionem Grotius sequentem in modum refutat. Hocce nimirum Ius subditorum effectus est dominii. Dominium autem nascitur, sive modus acquirendi naturalis sit, sive juris civilis. Sufficit enim factum esse dominum. Existimat Grotius, Principem & exteris ius questitum auferre posse in poenam. E. g. Si veetigal defraudando retinuerint, non autem ex vi eminentis dominii, quia in res exterorum nullum sit dominium eminens. Enimvero inferius fatetur, tempore belli non injustum esse, exterorum naves ad transmittendos milites, invitis dominis, adhiberi, modo illis solvantur merces. Hinc statuendum, hocce ius in omnes exten-



extendere cives, etiam temporarios, sed eo discrimine, ut illis res ex jure auferri possint, in perpetuum; quia sunt cives perpetui; his vero ad tempus, quia temporarii. Nec minus in Lib III. Cap. XIX. §. 7. objectionem eo tendentem, ut principes, vi dominii eminentis, omnia agere queant, quæ exigit utilitas civitatis: Ergo & pacta, cum rebellibus inita recindere, si salus reipublicæ id exigit, rationibus refellit sequentibus: dicens 1) dominum eminentis esse jus, non ergo verti debere in injuriam; 2) locum non habere, nisi in casu extremæ necessitatis.

2) Iure, in suum favorem introducto, unumquenque renunciare posse: ergo & principem. Renunciat vero, dum paciscitur cum rebellibus. Denique in Lib. III. Cap. XX. §. 7. n. 7. Q 2. questionem movere: An, si Princeps cum extero de rebus privatis pactum iniisset, subditi huic stare teneantur? ad quam affirmative respondet, & sequenti ratione suffulcit. Imperantes in subditorum rebus gaudent dominio eminenti. Respublica æque habet dominium in rebus civium, ac ipsi cives, si necessitas reipublicæ id sepe exigit, ut potius res privatæ, quam publicæ hosti concedantur: ergo id potest respublica ejusque viator. Interim omnino & reliquis civibus, quorum res hosti concessæ sunt, tenentur ad resarcendum damnum; quia 1) nec reliqui cives cum unius damno fieri debent locupletiores. 2) Inter cives observari debet æqualitas, nec unus plus contribuere debet, ad tuendam rempublicam, quam alter; id quod geometrice intelligendum.

### §. IX.

Loca adducta, si probe perpendantur, & ad principia juris publici universalis revocentur, nec Grotius nobis contradicere videtur. Conf. Et Hobbes de civ. Cap. VI. Art. 15.

## SCHOL.

Adsentit quoque nobis *beatus Dn. de LEYSER. in Med. ad ff. Spec. 160.* ubi scribit: *Principi, in res privatorum, non dominium, sed imperium saltem competit,* etc. quocum etiam *Dn. TCKSTAEDT in Dissert. de dominio eminenti, & SCHIER-SCHMID in I. N. & G. convenit.*

## §. X.

Absoluta itaque prima sectionis parte, converendum nobis erit ad secundam, objectiones, contra dominium eminentis allatas, & fundamenta, per quæ destructæ, sistentem.

## §. XI.

Primam quod attinet objectionem, eo tendit, quod Princeps contra jura subditorum nunquam agere possit, ne omnis industria, labor, cumulatio legum, quæ de variis acquirendi modis, in jure ab Imperatoribus, ac JCtis in commodum privatorum congregata sunt, inanis fiat, si a præscribente legem, quæ subditi acquisiverunt legitime, his iterum eripi possent; sed tituli Institutionum, Digestorum & Codicis, de divisione rerum: de acquir. rer. dom. &c. voluntatem principis sufficienter declarant, se, omnia a subditis jure parta, intacta, illis semper esse servaturum relicturumque.

## §. XII.

Deinde in specie opposentes propositionem validare conantur, ex eo, quod qui vel jure Gentium vel civili dominium rei acquisiverunt, habeant rei vindicationem, per textum expressum L. 3. §. 5 ff. de rei vindic. Si enim certum est, in nulla re duos in solidum se dominos nominare posse, per L. 3. §. 5. ff. de acquir. rer. dom. quo-

quomodo, ajunt, Principes subditorum jura, his invitatis  
sua facere possunt.

### §. XIII.

Accedit tertio vulgatum illud *L. II. ff. de R. I. vi*  
cujus id, quod meum est, sine facto meo ad alium trans-  
ferri nequit; item convenientius nihil esse naturali aequi-  
tati, quam voluntatem domini, rem suam in alium  
transferre volentis, ratam haberi. *§. 40. ff. de rer. div.*  
Cujus contrarium tamen facile eveniet, si, reluctante  
privato, Princeps, ob commodum publicum, ejus bona  
auferret.

### §. XIV.

Quarto urgent textum sacrum *Genet. III. vers. 19.*  
verbis: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Tuo  
dicitur, non tuo & Principis. Ergo possessio erit solius  
domini. Meum enim est, dicit JCTus Celsus, *in L. 49. §. I.*  
*de rei vind.* quod ex re mea supereft, cuius vindicandi  
jus habeo. Meum vere & tuum proprietatem & domi-  
nim demonstrant.

### §. XV.

Quinto asylum securum fibi ponunt, in textu  
Prophetæ Ezech. Cap. XLVI. v. 18. ubi aperta putant ver-  
ba, hanc Principis potestatem restrigentia, legi: *Non*  
*accipiet Princeps de hereditate populi, & de possessione eorum,*  
*sed de possessione sua hereditatem dabit filius suis, ut non*  
*dispergatur populus meus de possessione sua.*

### §. XVI.

Denique non parum suam opinionem juvare  
putant, texti *Deut. XVII. v. 15. 16. 17.* in quo Principi  
ad habenas imperii capessendas se applicant, nervose



exponitur, qua ratione regimen suum, ut Deo & populo placeat, instituere debeat, sc. inter alia monita, ne multas pecunias coacervet, quod clare satis monstrat, subditos potius habere divites, quam, cum ipsorum incommodo, Principes locupletari oportere.

### §. XVII.

Verum, primo non obstat argumentatio in §. X. adducta. Princeps, potest aliquem dominio suo privare; Ergo leges omnes de dominio privatorum agentes sunt inanes ac inutiles. Debilitas enim, hujus conclusionis, vel ex eo dijudicari potest, quod, si istud procederet, nunquam Princeps novas leges prioribus substituere posset. Necesse est, ut omnis lex agat, vel de persona, vel de re, vel de actione; Circa triplex hoc objectum jus privatorum versatur: Privatis enim & parentibus leges præscribuntur, non pari aut in majori dignitate constitutis. Sed hoc de potestate Principis circa leges ferendas pronunciare, iniquum foret; Princeps enim, hoc jure destitutus, ne Principis quidem nomine venit. Omnino L. 4. ff. de const. Princ. aliud docebit, quando de isto regali, iura condendi, dicitur: *Constitutiones, tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt.*

### §. XVIII.

Porro: Parum negotii faceffit secundum argumentum, desumtum ab effectu dominii, actione scilicet, quæ datur jure gentium & civili dominium acquirentibus. Nam, nec hoc ulli denegatur, maxime si privatus contra æque privatum actionem instituere velit: Immo & Principem pati debere, si nulla necessitate ductus, rem privati suam fecerit, ut petenti actori ipse se fatis-

satisfactionem reddat. Quorsum bene facit *L. 23. ff.*  
*de legat. 3.* qua vel ipsa Majestas quodammodo se suo  
jure abdicat, quo ex plenitudine potestatis uti frui posset:  
Sc. etiamsi Jmperatori in testamento imperfecto legata  
relicta fuerint, ea tamen non vindicat, cur? quia tantam  
Majestatem decet eas servare leges, quibus ipse solitus  
esse videtur. Quo ipso subsuntio oppositionis concidit,  
duos nimirum in solidum unius rei dominos esse non  
posse, *L. 3. §. 5. d. A. R. D.* Ut enim jam taceam intel-  
lectum istius dicterii, quorsum videatur *STRUV. Ex-*  
*ercit. 42 th. 8.* Hoc solum moneo, nos eo plane non  
feriri. Nam si subdito devotio quædam & pietas erga  
Principem & obligatio in patriam sit, ut ipse eave susten-  
tentur, vel ultro dominio suo renunciabit, si salus rei  
publicæ inde exspectari aut haberri possit.

### §. XIX.

Ex dictis præcedentis §. tercia objectio per se refel-  
litur. Nam quod legem *II. ff. de reg. jur.* attinet, qua  
dicitur: Illud meum esse, quod sine facto meo ad alium  
transferri nequit: Prima responso est: Illud amplius  
meum non esse, si justa intervenit causa, quæ hic est favor  
publicæ utilitatis, vel necessitatis *I. Barbarius 3. ibique DD.*  
*ff. de off. Praet.* ob quam id, quod nostrum est, sine facto  
nostro nobis eripi, aut a nobis expeti possit. Secundo;  
tacitus, si non expressus, populi consensus efficit, ut, con-  
cernenti dato casu, Principi res quasi propria, vel ultro  
detur. Hæc enim est vel expressa, vel implicita ejus  
confessio, qui se principi submittit, ut morem gerat,  
ex præsumptione pro ejus sapientia, in quibusunque ejus  
præceptis, vid. MÜLLER *ad reg. Jur. II. lim. 5.*

Quo



Quo ipso etiam responcionem habes, ad adductam §. 40.  
¶ de rerum div. Rata enim est domini voluntas, simulac  
Princeps, ob commodum publicum, de subditi rebus  
disponit.

§. XX.

Jam ad saeræ Scripturæ loca, quibus secure  
fidunt dissentientes, nos convertamus. Dictum primum  
erat illud, Genes. III. v. 19. A me, credo, non deside-  
rabit B. L. ut amplam huius dicti paraphrasin annotem,  
hoc enim Theologis proprium maneat. Solummodo  
possessivum illud pronomen, *tuum*, hic qua ratione acci-  
piatur, monstratum dabo. Duplicem itaque ex isto  
sumo interpretationem. Nam primo, quando dicitur,  
*vesceris pane tuo*; hoc non solum Protoplastis sed futuro  
universo generi humano dictum est, a D. O. M. & quod  
pronomine: *tuo*, proprietas indigitetur, lubens concedo,  
nemoque rei vindicationem tibi denegabit, si vel con-  
civis, vel extraneus, aut in æquali, aut inferiori tecum  
dignitate constitutus, rem tuam sine justo & legitimo  
titulo detineat. Hoc enim vel ipsa naturalis ratio  
suadet, ut suum cuique tribuatur & relinquatur, non vero  
adimatur, & ipsius principis officio incumbit, subditos  
ad recuperandas res, inique ab aliis possessas, brachio  
suo juvare. Secundo: sic dico, *vesceris pane tuo*, etiam  
si princeps panem, quem haec tenus nominasti *tuum*, tibi,  
propter communem necessitatem, videatur minuere,  
auferre. Præsupponendum omnino, Principem esse  
optimum Titum atque Trajanum, Patrem patriæ gra-  
tiosissimum, & singulorum Deum tutelarem: Qui, si  
alicujus sui civis rem occupet, exigat, illud ob salutem  
omnium, hinc & singulorum, facit, ita, ut nisi fecerit,  
certum

certum, vel maxime verosimile futurum sit, ut periclitetur res publica, vel ad minimum ejus splendor decens imminuat. Quod si vero salus omnium hoc modo obtineri potest, e contra, vel omnium, vel plurium intermissione, ista damnum attrahatur, vel ultro sequitur, etiam ablata rei possessoris salutem esse quæsitam, ita, ut salvus & incolumis imposterum, sub alis Principis sui benigni & prudentis, vivere ac una cum concubibus suis panem suum sibi relictum, aut denuo acquisitum quietus comedere possit.

§. XXI.

Porro, ut ut sequens oppositio ex Propheta *Ezech.*  
Cap. XLVI. v. 18. penitus nobis contrariari videatur;  
non est tamen, si modo absque præjudicio verba ea  
considerare velis, cur propterea ab opinione recedamus.  
Nam, quando dicitur: *Non accipiet princeps de hereditate  
populi sui*, evidens satis est, intelligendum esse de populo  
juste contradicente: Princeps enim sollicitus de incre-  
mento justo, deque ordine in populo servando, molietur  
nunquam aliquid, quod ab officio boni patris patriæ  
exorbitaret. Si igitur contigerit, ut, publica ratione  
siudente, de hereditate populi quidquam occupet, titulus  
*ex dominio univerali*, cœu alii dominium eminens vocant,  
est satis legitimus. Primo enim, ut summatim ulterius  
respondeam, non potest princeps, juste agens, male agere,  
& quidquid egit, bene actum esse putari debet: Jam,  
concesso eo, quod princeps justus aliquid de hereditate  
alterius occupaverit, in regula, nulla quæstio formanda  
erit, num male fecerit, quia præsumitur, eum non vo-  
luisse non bene facere. Hinc non potest prædicari de

D

prin-

■ ■ ■

principe bono, eum injuste aliquid sumfisse de hereditate populi, quoties procedit juxta regulam: *salus reipublicæ supra lex esto.* Cui, in exemplis, ne tumultuaria procedatur, jungenda est clausula generalis: si quia justa causa ipsi esse videbitur. Facile jam constabit, texatum Prophetæ agere de expilatione hereditatis, a principe injuste facta. Eundem hunc intellectum assumunt sequentia versiculi verba, de expulsione ex possessione agentia. Immo verba finalia, haud obscure demonstrant, quandoque licere principi, de bonis subditorum aliquid capere. Nam si hoc remedio præcaveri potest, ut non dispergatur populus, tanquam universitas, de possessione sua, sane laudabiliter facturis est princeps, si curaverit, ne dissipetur. Symbolum sapientissimum: Ne quid respublica detrimenti capiat, præstat fidejussionem & evictionem. Jam vero, cum malum aliquid imminens non possit repelli, nisi inter alia, hoc quoque medium adhibeat, eo ipso quietam subditorum possessionem stabilit firmabitque potius, quam quod turbet, aut intervertat princeps.

### §. XXII.

Denique ut ultimo scripturæ loco, ex *Deut.* XVII. v. 15. & 16. adducto, satisfaciamus, ille nobis plane non contradicere videtur. Quis enim quæso infallibilem ac certo concludentem hanc assertiū consequentiam: si Princeps, ut Deo & populo regimen ejus placeat, multas pecunias coacervare non debet, sequitur, quod, ob justam causam, bonum publicum, bono privatorum anteponere non debeat. Idem enim esset, ac si princeps cum statibus convenerit de certis præstandis, quotannis colle-



collectis & inde vellet concludi : Ingruente hoste aut  
jam ad portas præsente, reipublicæque ruinam minante,  
obstare aliquid juri sequelæ & exactioni tributi extra-  
ordinarii, ad peram & saccum usque. Longe alia canit  
historia, cum elogio, tam Principum, quam Statuum &  
Subditorum. Der ist ein gemeiner Feind, ita in sacra  
regula, der, in gemeiner Noth, nicht alles, was er vermag,  
anwendet, und beytråget. Nulla liberabit Philosophia,  
nulla exemptionis allegatio personarum, earumque acce-  
ssiones, quæ sunt res, recidunt in communionem & æqua-  
litatem omnimodam. Cogitetur de incendio. Respiciatur  
respublicula, in navi periclitante & de quovis collegio  
hujus fati fortuito. Non agitur, in tali frangenti, de  
divitiis corradendis, sed de minori malo, majori præfe-  
rendo. Valde placent verba Magni, etiam post fata,  
**CONRINGII**, qui, in illustri Disp. de dominio eminenti-  
summae potestatis civilis, hab. Helmst. ao. 1677. opposita  
omnibus artibus machiavellisticis, quibus idem, alio  
speciali opere ivit obviam, §. 40. ita scribit : *In qualibet  
Civitate civium vel subditorum quisque non bonis solum, sed  
et vita atque sanguine reipublicæ sua est obstrictus. Legantur  
solidi DD. ad tit. ff. de lege Rhod. de jaclu, quorum medi-  
tationes altiora non negligunt. Rationes sunt essen-  
tialiter in illa materia. Elegantes sunt inevitabilesque  
extensiones, quas faciunt & L. II. §. 2. fin. quæ omnino  
ad gustum atque palatum, verbis : Si qua consumendi  
canja importata fuerint, quo in numero effent cibaria, quando  
ea defecerint, in navigatione quod quisque haberet, in com-  
mune conferet. Placet judicium B. Dni de Leyser in corol. 2.  
ad Med. 160. quando statuit, reluctantem in navi, ne  
scilicet sua ejificantur, posse, una cum suis rebus, in mare*

D 2

præci-



præcipites dari. Memorat eodem loco Leyserus, beati sui parentis, *Wilbelmi*, *Diss. pro imperio contra dominium eminens*. Nolui circa illam, in effectu, logomachiam, in his paginis multis occupari. Tandem sancta maneat, circa hanc arduam causam, idea veræ necessitatis, quæ omnes excludit longas prædeliberationes atque coniunctiones.

Audiatur Cicero, Chrysostomus ille Romanus: *Omnino*, qui republicæ præsunt, duo Platonis præcepta teneant. Unum, ut utilitatem civium sic tuerantur, ut quicquid agunt, ad eam referant, oblii commodorum suorum: Alterum, ut totum corpus reipublicæ current, ne dum partem aliquam tuerentur, reliquias deserant. Quod ad sacram regulam, Omnitum contributione sarciantur, quod pro omnibus impensum est, Vid. *DD. ad d. ff. tit. Leyserus formas hoc lemma:* Ex hac regula non privati solum, sed Principes etiam & res publ. obligantur. Invertatur igitur & retorqueatur biblicum illud argumentum: si Deus hoc in mandatis dedit, ergo suam æque ac subditorum utilitatem præ publico utili non curet. Ex his & antea dictis conciliatio duorum textuum bibliorum, *I Sam. VIII. v. II.* cum *Deut. XVII. v. 15.* deduci potest. Alias Doctorum resolutiones, desuper factas, vid. apud *ZIEGLER. de Jur. Maj. Lib. I. cap. 4. §. I.* cum sq. præprimis §. II. Hæc sunt, quæ ad dimovenda argументa opposita reponi possunt. Quibus peractis ad Sect. III. progredimur; modo adjecerimus quædam verba Samuelis: *Das wird des Königs Recht seyn*, remittere ad multos desuper commentatores. Consideretur status causæ historicus, & apparebit, propositionem esse ex dispositiva & enunciativa mixtam.

## SECTIO

## SECTIO III.

**T**radens remedia, annonæ caritatem impudentia, nec non applicationem dominii eminentis, ad dictam annonam.

### §. I.

Principi non competere solum jus, media ad civitatis securitatem & felicitatem obtainendam ducentia, determinandi ; Verum etiam omnia prædicto fini repugnantia removendi, ex definitione imperii civilis, §. 5. *Sect. I.* suppeditati, manifestum est.

### §. II.

Cum itaque defectum annonæ seditiones aliaque maxime incommoda, civitatis felicitatem, ad interitum usque, turbantia, sequi soleant ; Principi omnino tribendum est jus, prædicto defectui præveniendi, ortumque per media sufficientia e medio tollendi. (§. anteced.)

### SCHOL.

Curam hancce præclare incultat CICERO. *L. I de officiis 21.* his verbis: *Rerpublicam gubernaturi prospiciant, ut earum rerum in urbe copia sit, qua sunt ad vitam necessaria. Plebs enim illis in officio continetur, & provincia conservantur : Add. LVCANVS Lib. III. de bello Punico v. 55. & seqq. scribens: Est summa favoris, annonæ monumenta trahi, namque aterit urbes sola famæ emiturque metus cum segmine potentes, vulgus alunt. Sed etiam in amorem magistratus trahitur. Vocat id circœ LIVIVS L. II. cap. 9. annonam, blandimenta plebis, & Lib. IV. cap. 12. refert. L. Minutium annonæ levatae haud im-*

D 3

meri-



meritam & gratiam & gloriam tulisse. Et hoc medio Augustus Cæsar, in primordio Monarchiæ, magna usus prudentia, ut indicat *Tacitus I. Ann. n. 2.* ita scribens: *Militem donis, populum annonæ ac viætus dulcedine pellexit.* Eleganter inde *PLINIVS in Panegyr. cap. XXIX.*, adfluentiam annonæ perpetuum congarium vocat. Augustum hac in re fecuti sunt Imperatores, Tiberius, secundum *Tacitum Lib. II. in fin.* Claudio annonæ curam sollicitissime semper agens, teste *Suetonio, in ejus vita Cap. 18.* ubi addit, illum nihil non excogitasse, ad invehendos, eriam hyberno tempore commeatus: sed & negotiatoribus certa jura proposuisse, suscepto in se damno, si cui quid per tempestatem accidisset. Sicuti etiam Römani, in illa procuranda diligentissimi fuere, ex Africa & Aegypto, de quibus potest legi *PLINIVS: Lib. I. cap. 4.*, quarum posterior *Tacito claustrum annonæ Lib. 3. histor. Cap. 8.* vocatur. Ex Sardinia, Sicilia, Macedonia, Græcia, & aliis frugiferis Provinciis, que horrea populi Romani appellant *Lipsius atque Dempsterus*, quotannis ingentem frumentorum copiam advehi curantes, ut ex *Tacito 12. Ann. 43. PLINIVS Lib. XII. c. 3. FLOR. Lib. IV. c. 2.* ubi Siciliam & Sardiniam *annonæ pignora vocat.* *LIVIVS Lib. XXX. f. 38.* ubi etiam ventionis, ex illis meminit, & *Tacitus 13. Annal. 51.* in genere subvectionis trumenti ex transmarinis Provinciis mentionem facit. Nota tandem est, ex Sacris Litteris, Josephi prudentia, circa cœmendum, ad futuram necessitatem, in Aegypto, frumentum: *Genel. XLI. v. 48. seqq.* De Romanorum studio pluribus legi potest *LIPSIUS L. I. cap. 8.* cui jungatur *BERNEGGER. quæst. misc. 34.* & omnino evolvantur Dempsterus atque Rosinus.

### §. III.

Progradimur ad remedia, quorum adhibitio annonæ defectum impedit. Inter illa constitutio granariorum &



& frumenti, ex propriis vel alienis locis, tempore quo abundat, ad evitandam futuram caritatem, primarium obtinet locum; quacum secundo, prudens dispositio & dispensatio, ut & citra damnum asservetur & non nisi ad necessitatem distribuatur, conjungenda.

*Vid. t. t. C. de Condit, in publ. horr.*

#### S C H O L.

Hacce in re admodum industria & prudentes fuerunt Romani, ut, erudita diligentia, in peculiari tractatu, demonstravit *Vincent. Contarenus.*

#### §. IV.

Tertium, quod attinet remedium, illud consistit in sanctione legum severissimarum, contra promiscuam annonae evectionem, temporibus imminentis caritatis.

#### S C H O L.

Cicero Athenagoram virginis cæsum, ob talem exportationem fuisse, in oratione pro Flacco cap. 7. scribit, Elisabetha Angliae regina, cum ex celi intemperie, annonae difficultatem, rerum periti timerent, non solum rem frumentariam ex Anglia evehi vetuit, sed magnam vim invehi curavit. *CAMD. in ann. anglic. ad illa tempora, in pr.*

#### §. V.

Quartum medium erit constitutio Præfectorum annonæ, fidelium & prudentum, qui, præter curam publicorum granariorum, etiam privata horrea & receptacula caritatis temporibus inspiciant, pretium annonæ justum ponant, & frumentum avare retinentes, ad vendendum tali pretio, pauperibus & indigentibus, sub certa poena & quandoque vi cogant. In Republ. Romana speciales erant annonæ Præfecti, de quibus, num fuerint

Magi-



**Magistratus**, disputatur. *Vid. L. 2. §. 33. ff. de O. f.*  
*t. i. C. de Apparit, præf. ann. Tit. ff. & C. de annonæ. De*  
*curatoribus annonæ Vid. l. 6. §. 8. ff. de exc. tut.*

### §. VI.

Quintum medium habetur, per expulsionem otio-  
 forum hominum & minus utilium, ad exemplum  
 Augusti, apud Suetonium, *in ejus vita, cap. 42.* Adhibeatur  
 tamen cautio, qua vitæ pericula, nisi in vicinia abundet.  
 Alii de dando viatico differunt; Sed causa est difficilis  
 & cum grano salis tractanda.

### §. VII.

Sextum medium se refert ad constitutionem legum  
 sumptuarium & luxum inhibentium, Exemplo Juliani,  
 apud Marcellum, *Lib. XVI. p. 61. seqq.* & Pertin. apud Capit.  
*in ejus vita cap. 8.* ubi refertur, ex illorum continentia  
 ceteros exemplum sumisse & pretia rerum decrevisse.

### §. VIII.

Medium septimum merito vocant diligentera  
 agriculturæ, vel intermissæ, vel segniter tractatae cultum  
 & per pœnas procuratum. Spectat, ad illum scopum, si  
 agricolis securitas sancte præstetur, & non nimia tributa  
 exigantur. Si novelli, steriles & inculti agri, ad tempus,  
 sine pensione concedantur; de qua economia legi  
 potest *Const. Friderici II. Imper. inserta L. V. Feud. 17. §. 11.*  
 & *Autb. agricultores C. quæ res pignor. obl. poss.* & post  
 Lotb. de censu *L. 3. c. 5. late agit KLOCK. in Tract. de*  
*Aerario L. 2. c. I. n. 32. s. de hac cautela.* Add. *Leiseri*  
*venustum Jus Georgicum.* Dentur egentibus agricultoris  
 semina, ex publicis granariis, vel gratis, vel ad restitu-  
 endum



endum post uberiorem messem. Puniantur amissione agrorum, rite illos quoad tempus & modum non colentes. Ita fecerunt Imperatores, Valentinianus, Theodosius & Arcadius, vid. L. 8. C. de omni agro deserto. Prohibentur monopolia atque propolia. Vid. sancita in Ord. Imper. Pol. de anno 1577. Tit. 18. & 19. Sub rubris: Die schädliche Auf- und Fürkauf belangend: vom Verkauf der Korn-Früchte im Felde, auch Korn- und Wein-Gütern. Legatur Ord. Pol. Meckl. Tit. vom schädlichen Fürkaufen und Handthierung der Bauren auf dem Lande.

#### S C H O L.

Notandum, flagellatores illos annonae antiquis temporibus dictos fuisse Dardanarios, vel a Dardano, insigni mago, cuius meminir PLINIUS, Lib. 30. c. 1. LVSEB. Lib. II. præp. EVANG. TERTVLL. de anim. &c. al. vel a Dardanis, incolis Mariae l. 4. C. de metallariis, aut Phrygiae, gente mendacissima; quorum maleficus annona in Persarum horrea averti, & mensura inter metienda imminui credebatur. Meminit illorum VLPIANVS in L. 6. ff. de extr. crim. & PAVLVS in L. 37. ff. de poenit. Plura de iis videantur apud TVRNEB. L. 9. advers. c. XVII. CYACIVM L. X. Observ. 19. Remedia alia apud AMIR. L. XII. Diff. 3.

#### §. IX.

Quodsi vero in civitate nullum prædictorum remedium sit introductem, defectusque annonæ minaciter immineat, vel jam graviter premat, urgeat, Principi tribuendum est jus, non solum prohibendi alienationem in extraneos, sed & cogendi subditos, ut annonam, ultra proprios usus, indigentibus pro justo pretio vendant. §. 5. Sect. I.) vid. L. I. 2. Cod. que res export. non deb. L. 4. C. de commerc. & Merc. CONRING. in binis disp. ultimo alleg.

E



*alleg. titulo juris cognominibus.* Add. SCACCIA, STRACCHA, MARQVARD, aliique. Extendunt hoc probi viri, ad omnes, etiam qui alias annonam non habent venalem. Pergunt rectissime, cogi posse subditos, ut ex remotis etiam locis emant. Exulat igitur, dato casu, philosophia legum 16. C. de jure delib. & II. f. de contrab. emt. vi quarum ad vendendum, vel emendum nemo cogitur. Obtundit, hos syllogismos, vox Dei, Principis & populi: regulariter.

## S C H O L.

Bonum publicum est in themate, hinc subditum immo & extraneum, qui e. g. urbem curribus vel navibus, frumento onustis, prætervehit, detineri posse, ut venum expónat civibus, tempore carissimæ, obligari posse, defendit beatus ZIEGLER de jur. Maj. I. l. C. 41. th. 85. modo iustum, pro temporis ratione, statuatur pretium. Id. ZIEGLER C. 46. th. 3. Consentient, CARPZ. part. II. Conf. 33. Defin. 16. GAIL. II. obs. 56. n. I. legatur porro ZIEGLER d. l. th. 82. ubi, an Princeps pretium legale, tempore necessitatibus queat præscribere, quaestio est, quam in regula negamus, in exceptione affirmamus.

## §. X.

Media coactiva, si adhibita effectum autem haud producant exoptatum, Princeps gaudet jure, subditis abundantem annonam eripiendi inque usum publicum convertendi (§. 6. & 12. Sect. I.) hocce jus cum dominii eminentis nomine accipiat, (§. 8. Sect. II.) patet, Principi in prædicto casu in annonam dominium eminentis, exercere posse. (§. 12. Sect. I.) Id quod ad confiscationes & alias poenas usque extendendum. Festinabat nimis beatus Heinec, cum in §. pen. Inst. de annonæ criminе differeret, alia quia loquuntur LL. & DD.

## §. XI.

## §. XI.

Absolvo páginas, cum magnifico Rescripto A. Jmp. Claudi, quod Justinianus noster in Codicem retulit, L. 6. C. de Servit, durum & crudelitati proximum est, ex tuis (A. PRISCI) prædis, aquæ agmén ortum, sítientibus agris tuis, ad aliorum vicinorum usum propagari. Verba sunt Jmperatore, Cicerone & cedro digna.

## COROLL. I.

Potest omnino subditis imponi, ut in tempore sibi prospiciant, etiam ex locis remotis, annona, RVLANT. de Commiss. P. IV. Lib. 4. cap. 7. n. 45.

## COROLL. II.

Num, tempore annonæ caritatis, divitibus & contra eam tutis queat impóni collecta eleemosynaria imperativa? quæstio est, quam plane negare verat religio, si scil. ad admonitiones parum erogatur. Præbuerunt, intra annum, Suecia, Hamburgum, & alia regna & civitates illustria prouidentiae & liberalitatis exempla. Quod in genere eleemosynæ queant imperative colligi, statuere in se recepit, B. Dn. de LEYSER. Med. Spec. XXXIV. no. 4 seqq. Coll. Spec. CCCCXXXIV. no. 8. Verum, supponatur, quod ea ratione liberentur ostia nostra à tot mendicis, etiam validis, ut vocantur, in Tit. C. von wehlingen Bettlern, ut appellantur, in cit. Ordin. Pol.

## COROLL. III.

Crimen annonæ & dardanariatus sunt de exceptis, in quibus nempe singularia obtinent. Vid. text. concern. ff. & C. Add. L. 6. ff. de extraord. Crim. quae relegationem & damnationem in opus publicum minantur. Immo dantur Criminalistæ, qui ultimum supplicum dictare volunt, si pestis, vel propricidia & parricidia inde exorta, per desperationem & nociva edulia, inter pauperes,

E 2

CO



## COROLL. IV.


Omne jus protimeseos, in annona, quod passim ad diem certum seu terminum concessum est, cessat tempore pernuriae in annona.

## COROLL. V.

Quod, i fide habita, advehentes, tempore caristiæ, frumentum, non impediantur exceptione indulti moratoria, benevolo statuant nonnulli, inter quos est B. MEV. *in disc. lev. inop. deb.*, cap. 6. n. 90. Nos tanto viro, in eleganti problemate, contradicere nolumus.

## TANTVM.

Deus ter optimus maximus benedicat, ex alto, patriæ nostræ, illique messem det largissimam.



CON-

CONSULTISSIMO  
ATQVE  
PRAESTANTISSIMO  
DOMINO  
DOCTORANDO,

**Wendfen,**

S. P. D.

P R A E S E S,

E 3

Obtr:



**O**btulisti, *Vir Optime!* mihi, ante aliquot dies, hanc tuam dissertationem inauguralem. Tuam, inquam; nam quod meum non est, modis omnibus ad alium pertinere, didici atque doceo. Consentio tecum, in substantia & nolui interolare tuos circulos. Defende eandem & in & extra cathedram & reportabis honorem. Vera sunt, omnino, quae supponis. Essentialiter dominium nunc est penes illos, qui gaudent superioritate. In veræ necessitatis casu vivitur in communione & quamvis, & in statu integerrimorum, quoniam communio essentialiter habet multa incommoda, absque meo & tuo non viveretur feliciter, tamen dormiens quasi communio, nonnunquam evigilat, man lebet demnach in einer Art der Gemeinschaft, steht zu rechter Zeit, für einen Mann, und alles was man hat, ist gemein. Suprema potestas habet, non jurisdictionem tantum, sed protectionem & conservationem, absque

absque tamen administratione omnimoda, se quovis tempore  
exferente. Supponitur semper sapientissimum regimen, quod,  
definiens Grotio, Ius supremum, competens summae Potestati,  
in cives & res civium, boni tantum communis causa, nemini  
ius quæsum, extra casum summae necessitatis, toti societati  
pericula & interitum minantis, auferens. Placent placantque  
verba HORNII, L. 2. de Civit. c. 4. § 5. *Habet, quisque priva-*  
*torum, suum proprium, licet patiatur jus superius majestatis, quod ad*  
*illicita non porrigitur.* Philosophus semper, cum idea Principis,  
combinat divinitatis imitationem. Conf. l. 3. ff. de constit. Princ. v.  
Beneficium Imperatoris, quod a divina ejus indulgentia proficitur.  
Notio Patris est omnium suavissima & Principes clementer ad-  
mittunt, in utraque lingua, titulos, Patrum patriæ, dixerunt Landes-  
Väter. Vera sunt in universum, quæ scripsisti, limitationes  
sunt in exemplis. Dantur omnino casus, in quibus diu non  
est deliberandum, & quibus emergentibus, remora, alias vix  
evitandæ, procul habendæ. Ex hoc principio, in rubro dis-  
sertationis, ego expressionem S. R. I., ad rem facere sensi &  
admisisti: summum in mora periculum non a multis, sed ab uno,  
vel paucis Optimatibus venit determinandum. Qua materi-  
am substratam, in verbalibus, evolvatur CALVINVS, in Lexico  
Iuridico; qua materialia, B. STRYKII diff. de dardanariis & B.  
KRESSII problema, an Iosephus fuerit dardanarius. STRVV. de anno-  
na. Getreide est optima versio, utut annonæ acceptio detur la-  
tior, item strictior, pro pane ex frumento.

Quæ, Vir Consultissime! In tui honorem, ulterius scribenda  
habeo, hæc pro tempore sunto. Prognatus es, ex PATRE, magni  
inter nos nominis Viro, SEREN. DVCIS MECKL.  
Confiliario Cameræ Intimo, Fautore & Amico meo olimque vicino, &  
multis annis astutissimo: Qua lineam maternam, descendis ex  
illustri gente Curtiana. Respice B. PROAVVM, Mecklenbur-  
gensem Cancellarium: vid. B. THOMAE Biographia Güstrovienfis:  
Respice B. AVVM, Dn. D. CVRTIVM, Syndicum Rostochensem,  
longe meritissimum, cuius vitam exhibet progr. acad. Fautorem & Ami-

cum

*cum meum, cum viveret, singulariter honoratum atque dilectum.* Esto  
ornamentum, splendidarum familiarum. Fuisti, a teneris  
ungvicularis, optimae spei. Didicisti fideliter artes & in hac &  
in Ienensi & in Göttingensi Academia. Habui & ego te, in le-  
ctionibus meis Auditorem assiduum, etiam inter rariores, His-  
toriae & artis disputandi amatores. Antequam abires, anno  
1752, defendebas mecum, in Auditorio publico, disputatio-  
nem, casum, ex I. N. & G. decidendum, *de derelictione in vasto*  
*Oceano*, continentem. Rediisti in patriam, salvis & sospes at-  
que apud extraneos ulterius institutus. Examen in Facultate  
sustinuisti laudabiliter. Iam creaberis Utriusque Iuris Doctor,  
mea voce & manu. Plura non habeo dispensanda. Ulteriora  
dabit suprema gratia. Vale! quam optime & me meosque  
ama benebole. Memento commatis, meæ epistolæ gratularo-  
riæ, ex anno 1752, in quo probavi, ex philologia, quod, ma-  
joribus nostris, voces: Wendt & Wende, idem significaverint,  
quod hodie Freund. Possunt, ex illo primitivo, ut puto, multa  
derivari nomina, imo historico-juridicum habet idem influ-  
xum. Satis! Volebam addere insignem catalogum, edictorum  
& legum Meckl. juxta excerpta, providentiam summam, qua  
annonam, restantium; sed obstitit laborum p. t. moles. Potest  
autem, haud frustra, idem expectari. Dab. Rostochii, die  
xxviii. Aprilis anni MDCCCLVII.



Rostock, Diss., 1755-58

X.2284.307

ULB Halle  
005 047 935

3







Publ. 12. num. 3.

Pa. St. 10.

21

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVG<sup>R</sup>ALIS IVRIDICA,  
DE  
**S. R. I. PRINCIPVM  
DOMINIO EMINENTI  
EIVSQUE APPLICATIONE  
AD ANNONAM.** 1757 5.

QVAM,  
SVB AVSPICII DIVINIS,  
ET  
CONSENTIENTE ICTORVM AMPLISSIMO ORDINE,  
PRAESIDE,

DN. ERN. IO. FRIED.  **Kantzel**,

SEREN. DVCIS REGN. MECKL.  
CONSIL. ET PANDECTARVM PROF. ORD. COM. PAL. CAESAR.  
FAC. IVR. SEN. ET AD H. A. DECANO,  
STUDIORVM SVORVM PROMOTORE

HONORATISSIMO,  
PRO SVM MIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS,  
RITE CAPESSENDIS,  
IN ALMA PATRIA,  
ANNO MDCCCLVII. DIE III. MAII,



H. L. Q. C.  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SUBMITTET,  
AVCTOR,  
ANDREAS EPHRAIM WENDT,

ROSTOCHIENSIS.

ROSTOCHI,

TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERİ, SEREN. DVC. REGN. AVL.  
ET ACAD. TYPOGRAPHI.

